

880. 24

**DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
EMPHYSEMATIBUS,  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI  
DOMINI  
**PRAESIDIS ET DIRECTORIS,**  
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM  
**DD. PROFESSORUM**  
PRO  
Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea,  
RITE OBTINENDA IN CELEBERRIMA  
**ACADEMIA JOSEPHINA**  
PUBLICAE DISQUISITIONI  
SUBMITTIT  
**Georgius Toronyay,**  
Illyricus Tergestinus.**

---

In theses adnexas disputabitur in Aedibus Academiae Josephinae  
die Mensis Februario anni 1839.

---

**VINDOBONAE.**  
TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

K. u. k. Militär-ärztliche Bibliothek

Standort	Zimmer		Abth.	
	Kasten		Gruppe	
	L. Nr.		Nr.	

**PATRI OPTIMO**

*gratus filius.*



## Proœmium.

---

**C**orpus animale, non tantum solidis et fluidis sed etiam aëriformibus coalescit principiis. Declinans unum alterumve existis a debita via morbus erit. Solida et fluida morbose peccantia praeteriens, morbos ex aëribus originem ducentes, mihi in his pagellis conscribere proposui.

**U**t humana oeconomia optime ad normam persistat, sane requiritur, ut quantitas et qualitas aërum in corpore evolutorum, et eorum, qui ab extrinsecus hau riuntur, ad normam sint constituti. Deflexio ergo quantitatis vel qualitatis ad morbos dicit, eadem ratione ac qualitative vel quantitative solidorum et fluidorum

**deflexiones. Sed qualitas aërum in corpo-**  
**re reclusorum per artem humanam perve-**  
**stigari nequit, quantitas nonnisi per ex-**  
**cessum sub sensus cadit; ideo tantum de**  
**morbis ex aërum collectione morbosa,**  
**scilicet de intumescentiis flatuosis sermo**  
**esse potest.**

---

## Definitio.

---

**E**mphysema (*εμφύσημα*) a voce graeca φυσω in-flo, dicitur intumescentia elastica, tensa, quam induc-it aër in corpore morbose collectus, sive ab extus pro-cedat, sive in ipsius corporis penetralibus evolu-tus sit. Apud alios uti eximum Frank, pneumatoseos nomine venit. Aliis autem pneumatosis collectio aërum in abdomine est. Omissis ergo ceteris, intumescentias aëreas generico nomine Emphysemata dicam, secundum praeclarissimum Hildenbrand.

## Divisio.

Emphysema modo partem aliquam tantum occupat, modo universum corpus tumidum et elasticum reddit. Est ergo Emphysema vel universale, vel partiale. Nulla pôro organisi humani est pars, in qua aërum morbosa collectio contingere non possit, et animadversa non fuerit. In cavo crani, in viis respiratoriis, in organis digestionis, in caveis genito- urinariis, membranarum serosarum: arachnoideae, pleurae, pericardii, perito-

nei, tunicae vaginalis; in oculo, in thymo, in glandula thyroidea, in vasis tam sanguineis quam lymphaticis, in ipso corde, inter parietes abdominales, inter tendines, sub periosteo, in cavo ipso ossium interno, et frequentissime in textu celluloso **Emphysema** viderunt medici.

Nomina diversa, a varia sede **Emphysemata** gerunt, sed non omnes **Emphysematis** species, proprio nomine distinquentur; pleraque indicantur nomine generico **Emphysematis**, addito illo sedis.

Singulari aliquot tantum denominatione **Emphysemata** capitis et pectoris notata sunt. Pneumato-arachnoides vocatur aëris collectio in membrana serosa arachnoida; quae **Emphysematis** species etiam apoplexia flatulenta nominatur. Pneumato-thorax, si aër inter pleuras coacervatur; si in pericardio pneumato-pericardia. Nullum vero aliud **Emphysema** tot distinctum est nominibus, quam illud in abdome occurens: Tympanitis, pneumatosis, meteorismus, enterophyse, flatulentia, hydrops siccus, quasi tot synonimi habentur. Imo tot hisce non contenti medici, peculiares adhuc subdivisones posuere pro ipsa parte abdominis aëribus distenta. Hinc tympania stomachalis, intestinalis, peritonealis, vesicalis, uterina (physometra), vaginalis, pneumatokele in usum fuere, prouti vel in ventre, in intestinis, in

cavo peritonei, vesicae, uteri, vel in vagina, in tunica vaginali testium morbosa gas elastici collectio est. Expansio abdominis quae oritur in febribus meteorismus, in chronicis morbis tympanitis dicitur. Analogum quidem morbum colica flatulenta sistit, quae vero plerumque minori ventris expansione, doloribus intestinalibus gravioribus, ac universim decursu breviori distinguitur.

Ipse strepitus, quem aër in tympanite (Emphysemate sane omnium frequentissimo) per vias varias prorumpens inducit, propriis signatus est nominibus. Eurexis, ructus si aër morbosus per os emittitur cum strepitu; koelopsophia si per anum. Cholera sicca, si per utrumque hiatum (Hippocrates), aidoiopsophia si per vaginam eructatur (Sauvages).

Medico pratico autem omnes hae distinctiones parvi sunt momenti, cum una plerumque species, multifarias indoles gerere possit. Qua de re omnium utilissima distinctio in praxi est illa, quae innititur diversis Emphysematis causis. Quaevis ergo Emphysematis species pro varia sede statuta est distinguenda, prouti vel ex causa mechanica, vel chemica, vel dynamica inducitur, quo facto, non modo nosogenia, sed etiam rationalis therapia et prognosis comperte elucescunt.

---

## Diagnosis.

Diversissima quidem sunt secundum morbi sedem et naturam Symptomata, quae Emphysemata comitantur. Generalia tamen essent:

Intumescentia tensa, elastica, sub manu crepitans, vel sub percussione resonans, tympani percussi adinstar. Specialia sunt:

I. Emphysema subcutaneum, tumorem cuti concolorem, tensum, elasticum, sub pressione crepitantem, post vero nullam faveolam retinentem ostendit. Haec species cum seri aut sanguinis effusione in textu cellulari confundi potest. Sed ab hydrope, utut etiam in hac morbosa conditione tumor sit cuti concolor, levis et indolens, facile distinguitur ex eo, quod in parte hydropica compressio tentata faveolam relinquit lente evanituram, nullusque persentitur crepitus, dum in Emphysemate nulla faveola persistit, et crepitat aër, si pressione in alias textus cellularis cellulas permeare cogatur. A sanguinis effusione ex eo distinguitur, quod tumor in ista celerius evolvatur, sub pressione aliquis quidem persentitur strepitus, sed levissimus, praeterea levis distinguitur fluctuatio, color cutis vel rubet vel nigricans est, vel etiam temporis successu, in atro - flavescentem vergit. No-

tandum tamen est, quod in aliquibus casibus, praesertim si unasimul Emphysema et Ecchymosis fuerit inducta, diagnosis valde difficilis sit.

II. Morbosa aëris collectio in membranis cerebri, Pneumato - Kephalon, parum nota est. Symptomata quibus occurrit nulla alia nisi illa apoplexiae esse possunt. Quaevis enim morbosa collectio in cavo cranii cerebrum comprimit, functionesque cerebrales inhibet atque suspendit. Pneumato - Kephalon hinc potius Apoplexia flatulenta est dicendum, quod jam a Cullenio factum est.

Casus hujus Emphysematis enarrantur a Morgagni; Fienus pneumato - arachnoidem descriptis etc. Ceterum non est praetervidendum, diagnosim apoplexiae flatulentae tantis premi difficultatibus, ut ante cranii aperitionem non dignosci possit.

III. Quamprimum vel ex pulmone effunditur in cavis pectoris, vel ab extus intrat aër atmosphericus, vel sub morbosa conditione partium extricantur aëres, horribilis exurgit ille morbus pneumato - thorax, vel pneumo - thorax nominatus.

a) Ut plurimum soluta partium continuitate emphysemati subcutaneo complicari solet, et diagnosis tunc clarior est. Consentientibus nempe chirurgiae institutoribus, vulnera parva et oblique pulmones per-

forantia, tali scilicet ratione, ut vulnus externum interno non respondeat, vel costarum fracturae in quibus frustula ossea in textum pulmonalem insiguntur, hoc emphysema inducunt. Symptomatum seriem tunc habes sequentem: Dolor urget dirissimus pectoris, inflatio, quae ex loco fracturae incipit, extenditur pedetentim reliquo thoraci, collo, faciei, in qua palpebrae praesertim tumescunt, et interdum ita, ut oculus quasi dispreat; abdomen inde externum, scrotum, coxae, crura elastice tument. Aëris undique prorumpentis inflantem vim effugiunt vola manus, plantae pedum et linea alba. Sunt hic locorum textus cellularis tam adstrictae lamine, ut distendi non patiantur. Quavis sub inspiratione elasticus crescit tumor, cutis vehementer inflatur et distenditur. Dyspnoea pari gressu adaugetur; aeger inspirare amplius non valet, nisi erecto sedeat corpore, vel antrorum etiam propendat. Rubet visus sub interrupta respiratione, sistitur ipse pulsus, frigescunt extrema, et aeger aëre plenus, aëris defectu suffocatur, nisi praestato medicae sint suppetiae.

Difficultas respirii, singultus frequens, suffocationis periculum, dolor plus minusve acutus in regione hypogastrica, sonus crepitans sub pressione, qui illi accedit, quem dat sicca vesica aëre distenta, pe-

detentim compressa; ecchymosis profunda in infima et laterali dorsi parte, ad lumbos, sunt totidem signa, quae praesentiam gas elastici in textu cellulari subcutaneo indicant, stante pneumato-thorace.

*b)* In pneumo-thorace stricte tali, ubi aër inter pleuras exstat, quin vulnus externum pectoris, aut manifesta viarum respirationis rupturu animadversa sit, vel suspicari possit, Diagnosis perquam difficilis est. Observationes plurium optimorum medicorum Litre, Portalii, Selle, Bartholinii non tam infrequentem esse adparitionem docent, isti tamen pneumato-thoracem non pro morbo essentiali, uti Laennec aliquoties esse contendit, sed potius pro symptomatico pleuritidum chronicarum, vel effusionum serosarum, puriformium, vel vomicarum etc. habent.

Sed sive symptomaticum, sive essentiale sit hoc phaenomenon, semper periculi est plenum, studendum itaque, ut dignoscatur et per quantum ars valet curetur. Symptomata generalia ex caloris, circulationis et respirationis laesione, ex adspectu aegri etc. rem explanare non valent, cum talia sint ac illis in casibus, sub quibus pulmo alia de causa obrutus et infirmus esse solet. Aliquid itaque lucis haurire conemur oportet per varias pectoris explorandi methodos: Visus incerta tradit in maximo pneumato-thorace,

nihil in minori. Extus enim spatia intercostalia, latusque pectoris affectum elata tantum videntur submaxima aërum in cavo thoracis collectione; sed pro incerto sit tibi criterium cum ex pluribus conditionibus hoc produci potest phaenomenon.

Percussio thoracis ab experta manu optimum sane est auxilium, pro detegendis variis pulmonum et cordis morbis. Sic in pneumato - thorace ad maximum evecto culmen haec methodus juvat; resonat enim pectus, elastico repletus gase, et quidem eo magis, quo minus solida vel fluida ibi dominantur. Si pectus percutiatur variis in locis, et corpore aegri erecto tutius haberi potest judicium. Fluida morbose collecta, si qua sunt, gravitatis lege inferiora thoracis petunt loca, eruntque superiora summe resonantia. Aliam non spernendam quidem methodum Bichat proposuit, scilicet pressionem abdominalem, hac fit, ut aëres vel aquae pulmones inundantes gravissima incommoda praestent, si diaphragma, a visceribus per compressionem abdominalem sursum pulsis, in cavum pectoris elevetur. Multum lucrabitur diagnosis si in usum vocentur et pectoris percussio, et abdominis compressio; ea, quae utraque docebit methodus, comparata aliquid lucis reddere valent, in re sane obscura.

Recentioribus temporibus Laennecus auscultationem mediatam ope instrumenti (Sthetoscopii) proposuit, ad dignoscendas diversissimas pectoris infirmitates. Aurem vero immediate pectori applicatam, aliquid de internis medicos docere posse, jam cana novit antiquitas.<sup>1</sup> Haec methodus, secundum ejus auctore omnia depellit dubia, quae aliae relinquunt methodi. Etsi vero non tantum praestare potest, tamen grati in acceptis, Laennecum debemus referre novas observationes in pneumatosibus pectoris.

In peremptis a catarrho chronicō et tussi convulsiva vidit quandoque bronchia abnormiter aëribus distenta, et ultimas divisiones in pulmonum substantiam latas inde factas, ut harum aliquae integrum capere potuissent amygdalam. Haec vitia Sthetoscopio posse detegi ipse contendit, sed horum diagnosis quavis sub methodo quantum difficilis sit, nemo non videt.

Proposuit porro pectoris percussionem una cum sthetoscopii applicatione conjuncta; sub prima clarior est sonitus in parte ubi gas elastici morbosa est collectio quam in parte sana, altera deficientiam respirationis pectoralis ostendit. Attentus adverte ne sanam pro aegra dijudices partem, ex eo, quod clarior et vividior sit sonitus in una prae alia parte; ea enim ratione, qua gas elastici in uno latere increscit collec-

tio, percussio vacuitatem majorem pronuntiat; latus sanum majorem fluidorum non elasticorum gerens copiam resonitum minorem referre debet. Praeterea pars pneumato-thorace laborans majorem thoracis elationem et minorem mobilitatem ostendit, sed hoc criterium aliis etiam affectis commune, per se nil valet, aliquid vero cum methodo percussionis, et mediate auscultationis.

Fere eadem sunt signa Emphysematis pulmonum ac pneumo-thoracis, praeter quod in hoc aërum evolutione lente contingat, et vita non in imminenti sit periculo, ut in pneumato-thorace.

IV. Aërem in pericardii cava collectum vidisse Morgagni, Winslov et plures alii anatomiae pathologicae cultores referunt, hanc infirmitatem pneumato-pericardiam nominantes. Summis illis referentibus viris procedebat vel ex vulnere pericardii, et pulmonum una simul influsto, vel parietum thoracis et pericardii, vel dénum ex morboso quodam dynamico-chemico processu liquidorum pericardii. Sed quovis in casu diagnosis vix institui potest, imo aërum praesentia in pericardii cava, vita perstante vix suspicari potest. Certum quidem est dyspnoeam majorem vel minorem esse enaturam pro majori vel minori pericardii expansione, fors etiam motus cordis a normali deflectent tra-

mite, sed haec cum ex tot aliis causis progigni possint, parum pro diagnosi praestabunt. Frequentissime hoc phaenomenon symptoma aliis sistit morbi, ideoque eo difficilius dignoscetur, signis quae essentialem pathologicam conditionem indicant, carentibus. Eadem fere ratione in Emphysemate cordis et vasorum se habet res, ut de his mentionem tantum facere sufficiat.

V. Frequentissime morbosi aëres abdominis invadunt provinciam, eorumque collectiones meteorismus, tympanitis, emphysema abdominalis etc. vocantur. Hac sub morbosa conditione abdomen uniformiter tumet, tensa culis valde levis et lucens est, quin ejus color immutetur, hypochondria præ aliis tument regionibus; sub pressione elasticus persentitur renis, et percussione elicitur sonus illi tympani percussi non multum absimilis. Dolores quandoque evolvuntur in ventre praesertim sub attactu, quandoque vero attactum patitur indolens. Anxius fit aeger increscente aërum collectione tam ob mechanicum functionum abdominalium et respirationis obstaculum, quam ob dolorem partium vi distentarum. Quae sane anxietas augetur etiam ex eo, quod commodiores positus omnino impediuntur, nam aegro alias non conceditur decubitus praeter supinum. Sub tali ventris distentione viscerum abdominalium statum medica manus explorare haud potest. Haec phaenomena congruunt pro

parte cum illis ascitidis. Communia sunt etiam utriusque tussis sicca, lassitudo inconsueta, suspirium et singultus frequens, cordis palpitatio, sensus oppressionis circa praecordia, dyspnoea, vomitus cum alvi obstopione, vertigo, animi deliquum. Ascites tamen facile distinquitur a tympanite, si abdomen percutiatur; non resonat venter, et laticis effusi undulatio manifeste persentitur. Praeterea borborigni, ructus et flatus non sunt, vel saltem nullo levamine secedunt.

Varia est sedes, quam occupat elasticum gas in abdome. In duodeno frequentissime colligitur, frequentius etiam in intestinis tenuibus, quam in ventre et intestinis crassis, cum ex his facilis vel per os vel per anum erumpere valeat. Alias emphysema sit intra peritoneum, ut cadavera dissecta quamplura ostendunt, in quibus primus adapertus abdominis paries in auras, inciso peritoneo, ingentem gas copiam avolare sinit, flarescit illico abdomen jam tumidum, et intestina, quae valde expansa reperiri credebas, contracta magis, quam in sueto est, sub oculos cadunt. Etiam in ipsa vesica urinaria tympania obtinuit. Si audis Frank, Sauvages, Chaldera, Hoffmannum, aerem ex vesica per urethram emitti, sub mictu, sub ventris pressione observatum est, nullumque ideo superesse potest dubium de emphysemate vesicali.

VI. Nec minus uterus aëribus morbosis locum concedit. Hic, qui physometra, tympanitis uterina, mola aërea dicitur morbus, magis in nuptis quam in virginibus est, monente eximio Frank. Duae potiores habentur species, vel reapse interclusus est aër, et vera uteri tympania adest, vel aër ex utero prorumpere potest, et satus uterini habentur. Primo in casu interdum phœnomena talia, praeter uteri et ventris volumen auctum, sunt qualia in primis graviditatis mensibus adnotantur a medicis; non ignorantur casus in quibus aërum sonora ex utero explosio, flagrantem proliſ ſpem rationalibus graviditatis signis innixam in sterilibus eluſit. Praeter symptomata generalia, nempe tumorem elasticum regionis hypogastricae, resonantem sub percussione, adnotantur in tympanite uterina ardor, dolor rodens et pungens ad vaginam, atque ad regionem inquinalem usque protensus, quibus interdum accedunt ſitis, horripilationes, febricula ad vespertas exacerbanda, atque anxietas.

Hoc adhuc adnotandum est, quod quamquam diagnosis pneumatoseos abdominis generatim facilius eruenda sit, attamen non desint difficultates, ibi praesertim, ubi vera ſedes emphysematis sit declaranda. Imo sub quibusdam circumſtantiis hoc emphysema cum ascite confundi potest, et vicissim, ea prorsus ra-

tione, qua emphysema subcutaneum cum ecchymosibus, et pneumo-thorax cum hydro thorace commutata sunt.

**VII. Pneumato - kele** est tumor ex aëribus in scroto vel in regione inquinali collectis, quod veteres herniam flatulentam vel falsam dicebant. Plures sunt species, prouti vel in textu cellulari scroti, vel inter pagellas tunicae vaginalis testis, vel in intestino vel in sacco herniae scrotalis, est gas morbosi collectio.

Signa diagnostica pneumato - keles ex aëre collecto in textu cellulari sunt: tumor adeo levis, ut pondus multo minus, quam volumen referre deberet, examinanti referat, velementa tumoris summe sunt extensa, et percussa manifestum dant sonitum. Deest omnis fluctuatio; aër pressus lente permeat superiora versus. Demum scarificationes superficiales aëris majorem vel minorem copiam educunt. Ad diagnosim confert etiam cognitio morborum coexistentium vel praexistentium, et rationis, qua tumor est evolutus.

Parum sane dignoscitur Pneumato - kele ex aëre intra tunicam vaginalem collecto, et facili re confundi potest cum hydrokele, utriusque enim eadem est sedes et forma. Adverte tamen ponderi multo minori, sonitui longe differenti sub percussione, et discriminem patet utrumque inter scroti tumorem. Distinquitur pneumato - kele textus cellularis ab illo vaginalis ex eo,

quod in ultimo integumenta sunt multo minus tensa, tumor est magis circumscriptus, et demum non leves scarificationes, sed sola tumoris punctura aëri dat exitum.

In herniis incarceratis evolvitur quandoque ingens aërum copia in intestino vincito. Haec pneumatokeles species distinquitur ratione evolutionis morbi, symptomatibus herniae constrictae propriis, et murmuribus tumoris hinc inde illis abdominis respondentibus.

Praeterea in oculo, in thyroidea, in thymo, in oesophago, in ossium cavitate medulari, sub periosteo, in vasis lymphaticis, in ipsa organorum structura aëres evolvuntur, sed hae emphysematis species tam rarae sunt, et nullis propriis distinctae symptomatibus, ut de eorum diagnosi nihil sit proferendum.

### **Momenta causalia.**

Cuncta tam ex parte dispositionis, quam mundi externi propululantia momenta, quae vel in organismi penetralibus aërum evolutionem solicitant, vel introitum immediate vel mediate in corpus aperiunt, emphysematibus in genere favent.

#### **I. Causae proëgumenae.**

Permeabilitas corporis humani, et partium expansibilitas primum momentum disponens ponunt pro em-

physematibus. Alterum et majus momentum habemus in processus vegetationis ratione: elementa quae apponi organismo, illa quae afferri et expelli ex organismo debent, in subtilissimam omnium materiei formam rapiuntur, quam inde vel pro tempore retinent, vel illico in fluidam commutant, et demum etiam in solidam, quo facto iterum per novas metamorphoses in aëriformem redeunt. Evolvuntur gas elastica ex superficie cutis, ex membranis mucosis, evolvuntur in magnis corporis cavis, evolvuntur in textu cellulari et organorum structura, evolvuntur uno verbo ubique sit vita. Cum itaque omnis vitae processus aërum evolutione et immutationi sit conjunctus, patet ex hoc fonte dispositio in emphysemata cuiusvis organismi partis.

Tertium momentum ad morbos pneumaticos disponens reperitur in continua hominis cum aëre atmosferico externo intima relatione, in circumambiente aëre movetur, agit, vivit; imo ex aëre vitam haurit, estque aër hominis primum pabulum, perreptat aër quemvis et minimum corporis hiatum, et continuo nittitur in corporis penetrationem. Adsimilatur per pulmones, per cutim, adsimilatur cum cibis per processum digestionis, adsimilatur a lymphaticis per processum inhalationis. Patet itaque quantam aër atmosphericus dispositionem ponere debeat pro morbis flatulentis.

**Dispositio** in morbos flatulentos ea ratione increscit vel decrescit, qua momenta haec disponentia in uno, alioque corporis punto plus minusve dominantur. Hinc majorem habebis in textu cellulari subcutaneo, praesertim scroti et palpebrarum dispositionem, quam in ossibus, in cartilaginibus, ob minorem permeabilitatem. Majorem in fistula gastro-enterica, ubi vegetationis processus luculentiores substantiis nutritiis metamorphoses conciliat, quam in vasis, ubi multo minus fluida in circulum vecta immutantur. Majorem in cavis cum aëre externo communicantibus, pectoris, ventriculi, intestinalium, uteri, quam in illis, quae in corporis latebris latent, ut cavum crani, pleurarum, pericardii, articulorum etc. Sed proëgumena haec momenta nullum sane exhibebunt effectum, nisi accedant causae excitantes.

### **III. Causae procatarticae.**

Excitant autem morbum hunc, cuncta quae in genere modo organismum feriunt, tot tantaeque sunt, ut vix enumerari queant conditiones, quae morbos ex aëribus inducunt. Ut aliquo tamen ordine et limite prescribantur: in mechanicas, chemicas et dynamicas eas dispescere luet.

a. Inprimis vulnera, contusiones, fracturae, via organica interna, aëris artificialis inflatio, inter mo-

menta mechanica occurunt. Vulnera in pectus penetrantia et contusiones, quae pulmones disrumpunt, costarum fracturae, rupturae pulmonum per tussim violentam, per nisum in partu difficiili, laryngis, tracheae interna laesio frequentissime sunt causae pneumato-thoracis, et pneumatoseos universalis. Vulnera in cavo axillae textus cellularis non infrequens emphysema partiale carent, sub brachii motu mechanice intruditur in axillae cavea aër, ex quo inde emphysema; vincula herniarum, polypi, pseudomembranae intestinalium, constrictiones eorumdem, volvolus, faeces induratae sub alvo obstipa, compressiones intestinalium per viscerum vicinorum intumescentias, uterus gravidus, vermes multi in unum conglomerati, fistulae, scissurae et vulnera intestinalium, unde per laesas intestinalium vel ventriculi membranas aër effugit in vesicam, in uterum, in vaginam, in urethram. Demum artificialis aëris injectio. In clysmatum applicatione, ubi syringa malo embolo instructa sit, vel ab inexperto adplicantur, causa haberi potest emphysematis intestinalis mechanica. Nec est praetereunda proprietas hominum nonnullorum, qui ad libitum deglutiunt magnam aëris copiam; mechanice tunc stomachus aëre distenditur.

Sunt etiam, qui improba simulatione perducti ad movendam hominum misericordiam, infantum cutim re-

tro aures incidunt, aëremque immisso inflant, unde tumor hydrocephalon mentiens efformetur, vel deformitates in alius crient partibus.

b. Inveniuntur causae chemicae vel ex immutationibus chemicis, quas patiuntur substantiae externae in organismum animalem introductae, vel in iis, quas subeunt ipsi organismi humores secreti inquilini vel excrementitii. Cibi mucidi, tenaces legumina, pisi, fabae, lentes, pulmenta, pisces marini, carnes salitae, farcimina, caro ovilla, suilla, ferarum, corruptioni proxime substantiae, vel in fermentationem pronae, potus acido carbonico divites, liquores cremati, magnam eructant aërum sub digestione copiam. Ipsi nostri humores, si vitae influxui minus evadant subjecti, vel morbosa quantitate aut qualitate peccent, illico chemicas metamorphoses subeunt, et aëres extricant foetidos atque copiosos diversae indolis et compositae, concurrentibus praesertim gas acido carbonico, gas hydrogenio, et gas hydrothionico etc. quae calor ingens expandere valet volumen, quaeque pro varia qua colliguntur sede, varias emphysematis species producunt.

c. Nec minorem causarum dynamicarum datur copiam, sive enim vitae energia intendatur, sive infringatur, uberior semper patet fons pneumatoseos. In in-

flamationibus, in apyrexiiis, in nevrosibus, in conditionibus hysterics, hypochondriacis, febri nervosa, in partium laxitate, conditione putrida, gangraena, sphacelo frequentissima est pneumatosis. Praeterea ex haemorrhoidum, vel menstruorum suppressione, diarrhoea diurna, drasticorum et veneris abusu, ex spasmatica intestinorum contractione, unde liber exitus dengatur elasticō gase, sive extricato a contentis intestinalum, copioso praesertim hydrogenio scatentibus, siue ob pravam ac proprie morbosam tunicarum intestinalium secretionem uberius subministrato, praecipue in relaxationis stadio etc. emphysemata mox universalia, frequentius vero partialia inducuntur.

### P r o g n o s i s.

Qualibet sub conditione pathologica, qualibet ex causa exsistat Emphysema, ejus proxima causa sistit semper in morbosa aëris collectione, sed cognitio haec parum nos docet, tam pro therapia quam pro futuro praedicendo eventu. Procedit enim haec a tam diversis causis, noxas producit tam diversas, ut mox gravissimus evadat morbus, mox tam levis, ut vix quidem dici possit morbus. Vel leve vel grave sit emphysema vix non semper aliis est morbi effectus. Idecirco non ab emphysemate, sed a morbo principe et prognos-

sis et therapia dirigitur, licet pro varia hujus symptomatis specie intensitateque et prognosis varia sit sistenda. Qui omnia hucusque dicta in mentem revocaverit, comperte videbit, relate ad prognosim nullam esse generale praeceptum in emphysemate. Sedes, causa, intensitas morbi prima sunt in prognosi momenta sedulo studenda, praeter generalissima illa, quae prognosim, quovis in morbo dirigunt, quaeque prudentem medicum singulari in casu dirigunt, atque edocent.

### Therapia.

Indicationes sub Emphysematum tractatione in eum nituntur, 1. ut causa amoveatur; causa vero remota, vel non removenda, 2. ut aër morbosus ex propria eliminetur sede; hoc vero non concesso, 3. ut aër saltem in minus redigatur volumen, et nimia praepediatur partium distensio.

Quoad primum pro diversa causa diversa est instituenda emphysematum therapia; hinc mox utiles et necessariae erunt sanguinis eductiones generales vel locales, remedia antiphlogistica, emollientia, temperantia, refrigerantia, mox vero roborantia, stimulanta volatilia et fixa, mox emetica, purgantia, et reliqua evacuantia, mox e converso adstringentia, nervi-

na, antispasmodica, antiseptica. Diaetae regimen cui semper adcommodandum.

Quod pertinet ad secundum, via per quam morbos aëres eliminantur e sede, quam tenent, est vel naturalis vel artificialis. Naturalis in partibus, quae cum mundo externo directum non tenent commercium, reperitur in vasibus lymphaticis. Partes vero, quae hiatus gerunt, quibus cum externo communicant, duplēcēm habent naturalem viam vasa lymphatica et naturalia foramina. Via quam ars praestat vel scarificationibus vel acu punctura efformatur.

Plures observationes nos edocuere aëreos tumores per beneficū lymphaticorum munus perfecte esse resolutos; eorum itaque actio aptis pharmacis sollicitanda, si fieri potest pro emphysematis sanatione. In emphysematibus subcutaneis commendantur pro incitanda lymphaticorum actione frictiones siccae cum flanella lana, vaporibus aromaticis imbuta, rubefacientia, vesicantia, cucurbitae siccae, modicum corporis exercitium, partis modica et regularis per fascias compressio. Via vero artificialis aëri sternitur cum cutis per lanceolam incisionibus, quam si sponte non petat aër, modica pressione extus cogitur. Omissis ceteris, diversorum emphysematis specierum operationibus, cum suis bonis et noxis in chirurgicis libris sat pertractatis, memorari li-

ceat, quod quoisque spes sanationis securiore via obtinendae adsit, nemo sane mentis vitam aegri periclitabitur operationis genere infido, summeque periculo.

Quod ad tertiam spectat indicationem alia pro emphysemate generatim referri non possunt praeter fomentationes frigidas et compressiones per fascias. Fomentationes calidae quavis sub conditione emphysematis nocent; calor enim maxime expandit aërem collectum, quo facto omnia emphysematis incommoda augentur. Pro emphysemate intestinorum proponi merentur remedia, quae deglutita, atque ad intestina delata absorberent gas in cavum intestinorum morbose evolutum. Omnia denique sunt vitanda alimenta et potulenta, quae sub digestione majorem aërum evolvunt copiam.

---

## **Theses defendendae.**

---

### **I.**

**C**ataractæ operandi modum tutissimum ad restituendum visum, sistit extractio.

### **II.**

**L**actatio matris conservat sanitatem.

### **III.**

**S**anguinis missio nunquam est absolute localis.

### **IV.**

**O**mne medicamentum stimulando agit.

### **V.**

**P**rinceps vitæ pabulum aër est atmosphericus.

### **VI.**

**F**ides in medicum multum confert ad aegri sanationem.

### **VII.**

**D**atur morborum complurium per solius vitae vires sanatio.

**VIII.**

In exanthematibus regulariter decurrentibus, regimen et diaeta congrua medicamina superflua reddunt.

**IX.**

Medicus infantes curans fortunatum se reputet, si medicamen conveniens acu tetigit, diagnosis enim morborum perquam difficilis.

**X.**

Ars nunquam per se sanat morbum.

**XI.**

Quousque hydrargiri usus instituendus sit, difficile est determinandum.

---

